



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Res à S. Ignatio Loiola Societatis Iesv Parente Gestæ

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniae, 1622

Aegrotat. 42

urn:nbn:de:hbz:466:1-44900

sè deditus, ac militiæ quàm litteraturæ scientior fuisset, (nam huius, præter rudimenta, nihil attigerat) tanta rerum cælestium scientia pollere cæperit, quantam, nisi de cælo haustâ, nemo crederet. 41 Per eos dies aggressus est libellum asceticum (quem EXERCITIORVM dicimus) lucubrare, arcanae sapientiæ feracē: & cui omnis ordinis mortales multi suum profectū in acceptis tulere: neq; adeò, si suis momentis æstimeretur, eum à tirone scribi potuisse credas. Librum Paulus postea III. graui examine recognitum, pro auctoritate sua probū censuit, ratumque esse iussit: ac rescripto in annum CIO. IO. XL. IIX. diplomate, omnes ad eundem sedulò vtendum inuitauit.

42 Ceterùm IGNATIVS, qui in hunc ferè modum vires opesque corporis attriuerat; tot no-

uissimè pugnis confectus, nō potuit, quin vltimi morbi pericula arcesseret. In quibus morbi iniurijs compertum est, quantum virtuti etiam externæ vbiuis deferretur. 43 Quoad enim decubuit, publico sunt sumptu omnia prolixè suppeditata: simul & priuata eorū studia exarserunt, qui, viri moribus permoti, suis pro se quisque in illum obsequijs certarent. Visuntur eius rei hodieque præclara inibi vestigia; & supra sexagesimum abhinc annum, recentia incolis putātur: qui ad ædem S. Luciae, vbi suum & pauperes hospitium, & IGNATIVS sanctioris vitæ rudimentum habuere, prouisunt, venerabundi & hospitis olim sui patrocinio læti. 44 Ac ne quæ locus obsolescat, pila ibi lapidea spectatur, rei veteris elogio inscripta. Quod mihi visum, latinis hic litteris exscribere; Eius sententia ex Italico hæc efficitur. *IGNA-*